



INCIPIT PRO-  
LOGVS TANGMA-  
RI PRESBYTERI IN VITAM  
S. BERNWARDI EPISCOPI  
ET CONFESSORIS.

fol. 12. **I**uñæ prouidentiæ sapientem admirabilemque dispositionem, ratio humana, nec liquide intueri, nec dignè suppetit admirari. Miris enim diuinæ clementiæ beneficijs, quotidianis successibus sustentamur; ut grauis culpa videatur esse, Dei laudes tacere, cum manifestissime scriptum sit. *Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est.* His itaque angelicis oraculis persuasus, imo compulsus, ego peccator & indignus Presbyter Tangmarus, humillimus quoque sanctæ nostræ Ecclesiæ Bibliothecarius, & Notarius magnifica gesta memorabilis viri, Domini scilicet Bernwardi nostri Episcopi colligere aggressus sum, non vanitatis fastu prouocatus, Deo teste, sed si quid imitabile Dei clementia, in illis eluceret, diuinæ pietatis gratiam, de cuius rore fluxit, posteris prædicarem, & illos tali exemplo, ad profectum

vir-

virtutum incitarem. Et, quia hoc ipso ignorante, subire temerarium sciui, diu cunctatus, haec publice cum illo confabulari, tandem oportunitate nacta, aditum tentaui. Primo itaque forti auctoritate aduersabatur mihi: nam in cunctis iactantiam & popularem fauorem, ceu mortiferum venenum vitabat. Tandem, cum saepius ingererem, graue peccatum esse, bona opera caelare, ne alii tali exemplo proficiant, cum Dominus dicat, *luceat lux vestra coram hominibus, &c.* cessit meo arbitratu, quæ compingenter reliquens, quia à puerō mecum usque ad iuuenile mætatem conuersatus, quasi filius, patri familiarius adhæsit, & conuixit: nec aliquid in omni studio eius vitæ meam conscientiam fraudare potuit, quin plenissimè scirem.

